

co additur alijs purgantibus : Habemus enim duo, quæ instar stimuli addimus, Colocynthidem & Scammonium : Colocynthis additur vel sub forma Trochiscorum vel sub forma EXTRACTI. Scammonium verò in forma variâ pro varietate humorum expurgandorum : & sicut Colocynthis rarò per se propter virulentiam præscribitur, sed semper uti dixi stimuli loco additur : ita quoque Scammonium rarò per se sed semper pro stimulo præscribitur : Reliquorum purgantium in dosi à gr. II. ad III. rarò ultra v. Per se si deberet assumi, præscribi posset à gr. x. ad XII. vel xv. Indifferenter & indiscriminatim expurgat, quidquid invenit, adeoque sanos & agros evacuat, alijsque medicamentis additum, loco stimuli solet eorum efficaciam augere & exaltare, five addatur melanagogis five phlegmagogis five alijs, &c. In febribus imprimis solet ejus statui alexipharmacum Camphora, quæ virulentiam corrigit & malignitatem domat, Cum Hierâ Galeni solâ dicitur appropriatum specificum pro expurgandis ijs, qui laborant morbo regio vel Ictero flavo. Usurpatur vel in forma sicca vel humida : In sicca ceu pulvis vel pilulæ ; in humida si subigatur cum ∇. appropriata, ubi fit, ut instar lactis Scammonium albescat : v. g. si ℞. Scammonij g. XII. vel xv. quibus affundatur ∇. vel rosarum vel ceraforum nigrorum ℥℔ benè agitantur in mortario vitreo cum vitreo pistillo, & sic fit liquor lacteus per filtrum transcolandus : id quod restat, denuò affusâ aquâ potest subigi, ut uti antea lactescat aqua : tale lac assumtum evacuat & purgat sine torminibus & sine graviorum symptomatum concursu : Alij ℞. resinam Scammonij vel ipsius Scammonij ℔℔ vel gr. XII. addunt Sacchari Candidi ℥ij. quæ omnia permista benè pulverisant exactissimè : huic pulveri addunt succi citri ℥j. omnia benè miscent in mortario vel vitreo vel marmoreo vel lapideo, & fit liquor lacteus egregia mistura, quæ suaviter purgat : quæ & hoc habet beneficii, quâdo per succum citri simul corrigitur malignitas Scammonij, ut postmodû faciliùs & feliciùs purget. ZAPATHA in clave Medicina habet TINCT. elegantem purgantem seu ∇. RUBINAM SOLUTIVAM, qui ℞. Scammonij ℥j. & sp. vini lib. ℔. Hæc duo inivcem permittit, ut fiat digestio & extractio, filtrat & filtrato liquori addit sacchari s. q. in ∇. appropriata soluti, & permiscet ita cum Efs. Scammonij, sicque acquirit colorem rubineum & perspicuum instar Julebi, spiritus vini non fit minus dephlegmatus. Eleganter laxans est, si detur in conveniente dosi. Denique ut elegantius fiat adsumtum Scammonium : Est enim ingratum propter amaritiam & nauseabundum saporem, sunt, qui ℞. gr. XII. permiscet cum sacchari candidi ℥ij. subigunt cum mucilagine Tragacanthi facta cum ∇. rosarum. q. s. & exinde faciunt orbiculos, quos illinunt ol. stillatio ligni Rhodij, sicque fiunt ORBICULI eleganter LAXANTES. Sequuntur PRÆPARATA. Malignum est, uti dixi, Scammonium, & propterea neque gravidis, neque infantibus & pueris commodè propinatur ; nihilo-

minus ap. modernos imprimis Belgas obtinuit, ut ad aliquot gr. ij. vel iij. cum liquore appropriato v. g. lacte pro eorum laxatione adhibeatur. Commodè hoc potest fieri, si prius sit præparatum, & in præparatione istâ correctum. Instituuntur autem correctiones variæ, & quorum 1. est DIAGRYDIUM, factum cum succo Cydoniorum, quam præparationem habet AUCTOR : nec est adeò inelegans ; fitque duplici modo, vel immittendo Scammonium in pomum cotoneum, vel solvendo illud in succo Cydoniorum, quas præparationes habet AUCTOR. QUERCETANVS parat cum succo Limonum ad hujus imitationem PETRVS IOHANNES FABER in Myrath. Spagy. lib. 2. c. 25. Præparat V. Efs. seu extrahit EXTRACTUM SCAMMONIJ cum succo limonum per sp. Ⓟ acuat. Ista BRENDII correctio, quam habet AUCTOR, est superficialia tantum Scammonij depuratio à sordibus admistis, non verò vera correctio ac præparatio. MAGISTERIUM, quod habet AUCTOR per sp. vini, beneficio cuius fit magisterium Scammonij, vocatur aliàs pulvis STRIYS, & quod dixi de reliquis resinis omnibus, de hac quoque est intelligendum & observandû, quod nunquam sit præscribendum solû, sed admisto stimulo salino, ne adhareat intestinis. EXTRACTUM SCAMMONIJ GLYCIRRHIZATVM hoc habet beneficii, quod à Glycyrrhiza Scammonium corrigitur : Dixi enim superius, quod temperet acrimoniam humorum & succorum in nostro corpore, ergo & medicamentorum assumtorum acrimoniam infringet : dum ergo ita in Scammonio illa corrigitur, impeditur quo minus colliquescat & succos utiles in corpore, nec exulcerationem in intestinis nec dysenteriam inducet. SYRUPUS CITRI DIAGRYDIATUS fit hoc modo : ℞. scammonij ꝑti ℥j. & superfundunt succi citri depurati lib. ℔. Stent in vitro benè obturato in digestionem per 3. dies saepius agitando & movendo in loco calido atque ultimo die per 12. Horas permittunt sine agitatione, ut clarescat, fitque clarissima colatura, in qua dissolvunt sacchari ℥ij. Quæ coquantur ad consistentiam syrupi, cuius dosis est cochlear unum. Præparant quidam ex Scammonio medicamentum, quod vocant RUBINUM VEGETABILEM : ex Scammonio nimirum crudo eodem modo atque resinam Scammonij, quam describit AUCTOR, & præcipitant cum succo rosarum rubrarum provincialium ; post præcipitationem resinæ in fundum, moderatè separatur succus rosarum per inclinationem & denique cum TINCT. rosarum resinæ superinfusa colorabitur eadem resina rubicundo colore elegantissimo : tandem exsiccat, pulverisatur & vocatur RUBINUS VEGETABILIS. VII. Præparatio quam habet AUCTOR cum sp. Ⓟ, estque SCAMMONIUM Ⓟ latum : non est vera præparatio, sed potius Castratio, figunt enim talia acida Ⓡ acra in scammonio purgans, sicque non corrigit sed castrant ; id quod patet ex eo, quod scammonium Ⓡ latum possit propinari